

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

dum apud nos vivent, paterno amore & fide cedam. Bene & feliciter vale. Die
24. Octobris, Anno 1572.

David Chytraeus.

Adjunctas literas quaeso, ut Bipontem perfecti fideliter cures.



CXVI.

S Discimus vix tandem, atque utinam etiamnum discamus, vir reveren-
de & charissime frater, verum esse, quod Christus dicit: Qui gladium ac-
ceperit, gladio peribit. Docent hoc Ecclesiasticae historiae, & nostra tempora
oculis auribusque usurpanda proponunt & ingerunt. Animadvertit hoc
piè & prudenter Reverendus Pater Lutherus, DEI doctus spiritu. Hinc
ipsam si essent imitati nostri, cum in reformandis Ecclesiis, tum colendo supe-
riore magistratu, & perferenda etiam duriore ejus manu, erexissemus jam pri-
dem contra Anrichristi hypocrisin, & psychotyrannidem Romanam præclara
trophæa. In eum etenim statum reductæ res Gallicæ erant, ut si vel paucos
martyres adhuc dedisset, servati innumerabilium sanguis incolumis potuis-
set, & triumphare per totam Galliam lætum Evangelii præconium. De Hel-
vetia hoc affirmare possum, si moderationem, ædificationi congruentem, &
pacem saltem tueri nostri voluissent, non fuisset laboratum postmodum, nec
laboraremus hodiè. Sed & intempestivis subversionibus rerum in Ecclesia
liberarum & violentis armis tentatarum, quam nunc experimur, confusionem
reportavimus. Meminit Nicephorus Eusebii, Samosatani, qui in exilium
actus, seridè commonefecit populum, ne rebelles essent suo magistratui. Ac
speciosi quidem prætextus semper quærantur: Sed quia verbo repugnant, ex
DEO esse non possunt, nec successum habere. Spes autem est, ut calamitati-
bus domiti, sanis tandem consiliis acquiescere discamus. Et qui nunc in sua
immanitate sibi placent & exultant impii, provocata per impietatem in se DEI
ira, eo ipso promoveant Evangelii cursum, quò maximè impeditum volunt.
Nostrum est interim, DOMINUM præcari, ut per Spiritum Sanctum cor-
da ad serium pœnitentiæ studium accendat, afflictorum misereatur. Bury-
rum gratum fuisse tibi uxori que tuæ, gaudeo, cujus præcium accepi. De casibus
prospiciam, etsi metuo, ne præcia sint magna futura. Heckelius vester serio
facit officium, quem spero Ecclesiæ vestræ utile fore organum, judicio est non
pœnitendo & verè sano, moribus inculpatis, studio indefesso, quo nomine
præceptoribus gratus, & mihi charus habetur. Commendo eum tibi, ut
quem.

quemadmodum haecenus es solitus, patrocinio eum juvare pergas. Fugilium nostrum speramus restitutum iri propediema, eo quod morbus quamlibet tenax declinare videatur. Commendo eum totumque ministerium nostrum tuis precibus. Resalutant te reverenter collegæ, & mea conjux. Bene vale in Christo JESU, cum tua uxore, familiaque. Scripsi Basileæ. Calend. Novembr. Anno 72.

R. d. 1. totus

Sulcerus, D.

CXVII.

S. Clarissime D. Doctor, Frater charissime.

LIteras tuas nuper scriptas accepi, ex quibus intellexi, Disputationem de duabus Naturis Christi, filio tuo respondente habitam, tibi & Collegis tuis probari; quo nomine Domino gratias ago & eundem oro, ut nos in isto pio consensu confirmet & conservet. Quod idem de schola vestra scribere non potes, Ecclesiæ causa doleo; sed quod mutari non potest, ferendum est, donec ipse Dominus mutaverit. Non equidem negare possum, singulari diligentia à me scriptam esse Disputationem, propter calumnias & æquivocationes infinitas, quas adversarii ad gravandam causam nostram conjungunt, ne ad rem respondere cogantur. Sed spero, illa effugia omnia adempta, & qui veritatem cognoscere cupiant, habere nunc, quo sese expediant. Et ut tardiores quoque juventur, nunc omnia argumenta in Disputatione & scriptis adversariorum allata denuo scribo & solutiones datas adscribo. Ut omnes intelligant, quam non lucem fugiamus: Quod si ipse Calvinus, Beza, Zyvinglius, Heidelbergenses, Wittenbergenses adfuissent, plura exponere non potuissent, nec melius etiam, quam à nostris factum est. Ea cum absoluta fuerint, denuo disputationem ipsam cum argumentis & solutionibus curabo imprimi. Magno autem desiderio tenor cognoscendi, quid Saxonici Doctores de ea disputatione judicent. Ea de re tu ad filium M. Philippum, ut ad nos perferat. Cui sicut & fratri, si potuissent magis grata facere, utique non desuissem aut deessem illis, quia sapientia, pietas & doctrina in illis mihi probatur. Unum autem est, quod abs te propter Christum peto. Est apud nos optimus quidam vir, exul Jesu Christi propter Evangelium, cujus causa etiam carceris durissimi sustinuit poenam. Is habet filium 13. annorum, studiis mancipatum, quem cupiat D. consecrare. Quia verò & monasteria & omnia collegia nostra non modo sunt repleta, sed etiam 40. & plures sunt expectantes, ut si apud nos consuli non queat, per Christum oro, si posses eum in Wilhelmitarum

Kkk

Colle-